

med.

R M K III.

2399

*Handwritten:* P. M. K. III 2399



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

0  
469  
R. M. H. III  
2399.

*De*  
**SALIVÆ NATURA  
ET VITIIS**

*Quam*

Præsidente Archiatro TER OPT. TER MAX.

*Ex Decreto & Autoritate*

Nobilissimi Amplissimi & Experientif-  
simi in inclyta Argentoratensi Academia

**Collegii Medici**

*Pro summis in arte Medica ritè consequendis hono-  
ribus & Privilegiis Doctoralibus*

Solenni eruditorum Examini submittit

**CAROLUS RAYGER.**

*III. Cal. Maj.*

✻(\*)✻



ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDRÆ DOLHOFFII,

Imprimebat JOHANNES Schleg.

ANNO M. DC. LXVII.

Teljes

e.s.

1667





J. N. J.

Disertatio Medica de Salivæ  
Natura & Vitiis.

I.



**V**arios & multiplices corporis humani humores rectè omnes in alimentitium & excrementitios dividi posse existimo. Alimentitium dico, quia unus & solus sanguis hocce sibi jure vendicat nomen. Cujus si essentiam spectes atque formam, homogeneous est, simplex & per totum sibi similis; si qualitates, diversus, diversi quippe temperamenti debuit nutrire partes. Ratione temporis, idem vel est primigenius sive primarius, vel postgenitus & secundarius, ex alimentis in corpus ingestis resultans. Generatus enim & productus à calore ex semine in utero, statim munus suum aggreditur, parenchymata carnemque musculosam efformat, ad alias verò partes non tam copioso sanguine indigentes proportionaliter affluit, sicque dum omnia perficere & nutrire tentat, tandem seipsum consumeret morereturque in herba, nisi provida natura mater, statim atque absolutus fœtus, ipsum augere voluisset & conservare sanguine materno, qui in hepar per venam umbilicalem delatus & depuratus, connivente dextro cordis ventriculo, per trunci venæ cavæ ascendentis foramen ovale in sinistrum tendit, primogenitoque intimè miscetur, tam in sui supplementum, quam tenelli corporis nutrimentum. Qui modus augendi & restaurandi sanguinem tamdiu durat, donec edito in lucem fœtu, sicque cessante affluxu materni sanguinis, ex chylo, ut omnibus notum, indes regeneretur restaureturque vitæ pretiosissimus thesaurus, individuus non tantum conservator, sed & speciei propagator. Neque enim totus in partium nutritionem absorbitur, sed portio eius ad testes

A 2

delabi.



delabitur per vasa spermatica, ubi purpura sua exuitur, & in albissima tunica non amplius individuo sed speciei est utilis. Qui excrementitii vocantur vel sunt tales & ratione materiae & ratione finis, vel tantum ratione finis. In priori classe continentur alvi faeces, urina, pituita illa vel à capite vel à pulmonibus proveniens, & per os rejecta, sudores alique humores, qui ex vitiosa quadam & naturae vel inimica vel molesta materia generati, non in alium finem & usum, quam ut tanquam inutilia pondera extra corpus egerantur, ejciantur. In posteriori vero ii sunt, qui ex bona & laudabili procreati materia, finem verò ut consequantur & corpori aliquam praestent utilitatem, excernuntur quasi, h. e. ex vasis suis atq; conceptaculis in manifestam aliquam & notabilem corporis cavitatem sese exonerant. Ita bilis ut separationem faecum à laudabili chyli portione promoveat atq; faciliat, per porum cholidochum, in intestini duodeni finem vel jejuni principium deducitur, cui mox affluit, per idem quidem in homine foramen sed diversa via, liquor ille in ductu Würfungiano Pancreatis contentus. Ita lympha, sive tenuissimum serum ex arteriis capillaribus exudans, sive aqua limpidissima, ut sanguinem venosum cor ingredientem diluat, in hujus utrumque effunditur ventriculum. Ita denique ut plures omittam, & ad rem properem, in palatum quoque per suos canales ad varios usus effunditur *Saliva*.

## II.

*Saliva* inquam, ita quibusdam dicta, quod instar salis gratissimum sit ciborum condimentum, deglutita multum juvet ad chylicationem, atq; ut à sale quodammodo omnes in universum dependeant sapes, nihilque nobis sapidum sit, quod insulsum: sic quoque bene sese habente sale hocce naturali, assumptorum sapes bene dicunt percipi, illo vero vel deficiente, vel vitiosis humoribus imprægnato, insipida nobis cuncta videri, licet sapidissima. Cui equidem eleganti allusioni non in totum repugno, quamvis parum vel nihil profus salis eam continere autumo. Magis placeat, qui *Salivam* à græco verbo *Σαλῆν*, quod idem est ac fluitare, vel etiam non incongruè à latino *salire* deducunt. Est enim revera liquor iste aquae instar fontis cujusdam salientis, aut scatebrae perpetuo vivente aqua scaturientis. Nam ut paulo fusius similitudinem demonstrarem, quemadmodum aqua ista continuo est in

motu,

471  
motu, semper affluit rarò vel nunquam in totum exhauritur, atque hanc ob causam maximè commendatur, ad varios usus appetitur & pro saluberrima habetur; pari modo latex ille ori ab temperatas qualitates gratissimus, & quale licet ob pondus admixtarum particularum omnis saporis sit expers, perpetuo ex propriis canalibus profilit, & in os veluti in lintrem capacissimum exoneratur, nunquam, gravissimis etiam urgentibus morbis in totum deficiens, ad præparationem ciborum factus, ad earundem deglutitionem aptus, ad concoctionem necessarius, toti denique Oeconomiae humanae saluberrimus. Certè si miseri illi populi, quibus salientes ejusmodi & vividi defunt fontes, quique vel pluvias expectare, vel glaciales & limosas bibere coguntur aquas, multis utpote morbis inevitabiliter subjecti; sanè illi miserrimi judicandi, quibus vel parcius generatur humor iste salivialis, vel aliis admixtis scatet excrementis, id quod catharrhosorum & Coryza laborantium prostrata docet appetentia, nausea, cruditates in ventriculo collectae &c. Saliva quippe pituitoso illo cerebri excremento permixta, in ventriculo sua in actione naturali & laudabili impeditur, hinc talia solet excitare Symptomata.

## III.

Proinde sedulo cavendum ne Salivialis hicce, & naturalissimus humor ad tot tantasque corpori humano præstandas utilitates factus, temerè cum aliis excrementis, quae in os, foras ut ejciantur, confluere solent confundatur, ipseque, quia cum illis expuitur, pro excremento quodam; mucò, sputo & sputamine accipiatur, non ad expuendum sed ad deglutendum natus liquor pretiosissimus. Excrementa verò illa cum quibus non rarò misceri solet, duplicis sunt generis. Prius è pectore proveniens, præsertim in pleuritide, peripnevmonia & phthisi, sputi vel sputaminis nomen specialiter sibi attribuit, nihil aliud est, quam humor aliquis sive naturaliter sive præter naturam in thorace ejusque partibus collectus, sensimque per motum continuum thoracis pulmonibus & asperae arteriae bronchiis impactus, & ab illis exquisitissimo sensu præditis per tussim in os expulsus. Qui si albus, levis, & qualis, mediocriter crassus, & sine labore rejectus, naturalis est, & vel ab halitibus condensatis vel aliunde ortus: Sin variis resperfus ichoribus, cruentus, spumofus, qualis esse solet in Phthisicis, Empyicis &

A 3

aliis



aliis morbo pectorali laborantibus, morbosus est & præternaturalis. Quod à capite delabatur, pars est sanguinis aquosior & serosior, tam à generatione spirituum animalium, quam à propria cerebri & cerebelli nutrimento resultans quasi excrementum, sensim tendens ad ventriculos, inde ad Infundibulum, hinc ad glandulam pituitariam, tumque pars ejus adhuc fluidior & tenuior per ossis subjecti, cuneiformis nempe, foramina ad Uvulam, fauces, Laryngem defluit, qui si salsus, tusses movere solet siccas & absque sputamine: concrefcit verò pars viscidior, & delabatur in os cribrifforme, ubi mucus fit, vel per nares, vel saepe sæpius saliva dilutus, per os expurgandus. Sed linquamus ista excrementa, & potius consideremus *Ubi, Quid, Ex qua materia, Quem in finem Saliva fiat, generetur, asservetur.*

#### IV.

*Glandularum quousq; ignota natura vilis fuit æstimatio. Tota antiquitas excrementis ipsas & superfluitatibus in corpore redundantibus recipiendis destinavit. Multum ergo debent huic seculo, quod ut in earum natura indaganda diligens fuit, ita quoq; in honore restituendo felix: eleganter inquit Clar. Steno.* Et sane si rem paulo accuratius perpendamus, incredibile videbitur, tam innumeras glandulas & prope loca principaliora sitas, non in alium finem, quam ad tam abjectum, tam sordidum exercendum officium fuisse factas & positas. Sic enim homo plus mali quam boni contineret succi, magis excrementis quam nutrimentis scateret, & cum nulla ferme sit pars quæ non suas habeat glandulas, totum corpus nihil aliud esset quam locus latrinis (sit honos verbo) repletissimus, imo cerebrum ipsum, quod ratione substantiæ, vel glandulæ similis, cum *Hipp. libell. d. gland.* vel ausim dicere omnium in corpore est maxima, maxima quoque foret Cloaca. Et in hac tam egregia patria nascerentur spiritus omnium Excellentissimi, omnium nobilissimi; hinc actiones prodirent verè humanæ, hincque tandem Ratio totius Rex sedem figeret, ubi totum sua deponit excrementa. Scio quidem, quod objici solet, ex singulis concoctionibus novas resultare fæces, foras eliminandas, hinc opus esse illorum receptaculis. Verum longè aliter sese habet nutritio quam concoctio, nec illa definiti potest per hanc. Inde nec ipsi, quos prætendunt, sudores tertie concoctionis sed tertie regionis sunt excrementa.

V. Et

#### V.

Et harum quidem glandularum, licet non omnium & singularum nobis adhuc constet actio publica, & an singulæ singularem & ab alio diversum humorem, vel in se generent, vel in se contineant, res sit plena dubitationis: Certum tamen in omnibus glandulis, quas hodiè appellant conglobatas, sc. quod æqualem habeant superficiem, & ex una quasi sibi continuata substantia conflata & conglobata videantur, ut sunt glandulæ mesenterii pone aures & inguina &c. in his inquam certum est, & ad oculum demonstrari potest, contineri liquorem aquosum, limpidissimum & mobilem, qui per vasa quædam hinc orientia ad communem defertur truncum, ut sanguini misceatur venoso à nutritione partium refluente, eumque reddat ad fluxum aptiorem. An vero illum immutaverit, vel ille talis qualis affluxit permanferit, nondum satis cognitum est atque perspectum. At de secundi generis glandulis, quas ob superficiem inæqualitatem, & quod quodammodo ex variis partibus & minoribus glandulis compositæ & conglutinatae appareant, conglomeratas appellant, nemo nisi ille qui id nunquam vidit aut à diligenti abhorret corporum vivorum dissectione negare potest, revera illas aliquem succum diversum non tantum à conglobatarum glandularum liquore, sed & à reliquis in corpore existentibus humoribus, generare, & in diversas corporis amandare cavitates. Exempli gratia, in Pancreate, jam olim observavit secundum ejus longitudinem ductum quendam, peculiarem pluribus ramulis præditum, quem neque venis neque arteriis ascribere nec voluit nec potuit *Wirfungus*. Ex isto, in cane viuo dissecto ante aliquot annos per instrumenta artificiose fabricata, collegit *Regn. de Graef Batavus* succum quendam acidum, quandoque austerrum, quandoque acido salsum, uti ipse testatur in *tractatulo quodam, de Succo pancreatici natura & usu*, remque omnem instrumentaque adhibenda æneis incidi curavit tabulis. In glandulis maxillaribus tam inferioribus quam superioribus Salivam deprehenderunt, liquorem & à succo pancreatico, & ab omnibus reliquis diversum *Warthonus & Steno*, ambo Clarissimi Anatomici. In glandulis quidem mammarum, præsertim in foeminis etiam generatur diversus à reliquis humor, Lac nimirum, sed an in censum veniant conglobatarum vel conglomeratarum, dubito; puto de utriusque participare natura.

VI. No.



## VI.

Nominavimus jam Salivæ nostræ natale solum, sed generaliter, oportet nunc ut paulò specialius agamus de glandulis maxillaribus ductibusque salivalibus tam superioribus quam inferioribus. Inferiorum author est *Warthonus*, & primus perhibetur inventor, qui eorum meminit & describit naturam in sua *Adenographia*. Laudem quidem ipsi derogare primæ inventionis tentavit *Deusingius* in *Dissertatione sua de Alimenti depuratione*, cognitos & satis accuratè descriptos fuisse jamjam ab *Avicenna*, nec obscurè designatos à *Galeno*, variis ex eorum monumentis desumptis probat testimoniis. Sed hanc disputationem non facio meam, neque in eam opinionem, omnia quæ hodiè nova reperiuntur & circumferuntur veteribus fuisse incognita, sed multa temporum iniuria, sterilibus literarum seculis abolita fuisse & deperdita, quæ hodiè restaurantur magis, quam de novo inveniuntur: Omni seculo curiosos extitisse naturæ indagatores & scrutatores probabile est, sed quod illorum observationes & scripta vel amissa, vel ab invidis, & veritati oblustantibus fuerint suppressa, dolendum potius quam negandum. Sed ad vasa nostra. Inferiorum historiam & exortum, ut jam diximus, prolixè tradit nota satis & in omniū propè manibus *Adenographia Warthoni* proinde huc nihil exscribemus, paginas nostras ut impleamus. De Superiorum primæ inventionis litigant inter se *Blasius* & *Nic. Steno*, ultimus tamen non ineleganter eos describit, in *tractatu peculiari de musculis & glandulis*. Curiosè admodum eorum pertractavit historiam fusiozem, quam ut hic, quamvis mereretur, transcribi possit. Admiranda sane est clarissimi huius Viri industria in indagandis minimis hisce vasculis & glandularum corporibus. Non enim tantum vasis Salivaris meminit superioris, exterioris, sed & alia buccarum, palati, imò dentium intra septum ad linguæ latera conspicua, à *Warthonianis* diversa, & ipsi sublingualia minora dicta, recenset vascula, omnia in hujus humoris salivaris productionem amicè conspirantia.

## VII.

Oblivisceris, inquiet fortassis quispiam in recensione vasorum Salivalium tonsillarum & glandularum ad linguæ radices positarum, quas in hunc usq; diem tot secula pro salivæ patria & domicilio habuere: Sed habitæ sint rationi non videtur consentaneum

taneum, eas liquorem hunc vel generasse, vel generare adhuc: Primò enim glandulæ istæ ex conglobatarum sunt numero, qui non peculiarem aliquem & à reliquis diversum, ut hætenus constat, producunt humorem, sed qui lympham recipiunt & ad truncum in thorace latentem devehunt. Verum cum natura quandoq; abutatur partibus, & ad ignobile officium, nobili possit uti instrumento, hinc secundò probabile valdè, ad illas confluere tenuiora cerebri excrementa aquosa per meatus ossis Sphæroidis expurgata, & in defluxu isto viscidam & lentosam acquirere substantiam, eamque esse, quæ sreatu à nobis rejicitur, diversa ab illa pituita mucosa, & quod è pulmonibus provenit, sputo, quorum superius meminimus. Quin & si juxta veterum principia procedamus, dubito adhuc an rectè illæ in officio suo stabiliri queant. Omnes enim in universum glandulas serosis destinavit excrementis antiquitas. At sanè toto cælo saliva differt à sero, & quis unquam audivit sero adscribere eas operationes tam manifestas quam occultas, quæ tribuuntur nostræ. Ulterius si excrementum est & inutile quidem, à massa sanguinea jam separatam, cur illud de novo miscetur chylo, & forte ejus non exigua portio abit in sanguinem? *Riolanus* continere eas putat acidum humorem, quem & spirituosum, tenuem, esurinum appellat, fermentationis famisq; causam. Sed an rectè valde dubito.

## VIII.

Quæ Ergò Materia Salivæ? Oportet omnino ut tam nobilis humor, nobilem habeat materiam, ut qualis sit causa, talis reddatur effectus: *Lympha est*. Sed quid lympha, nomen incognitum, & à tribus tantum & quod excurrit lustris auditum, qualis humor, unde ortus? Non incongruè hoc quaeritur neque enim probe intelligi potest Salivæ, nisi lymphæ nobis pateat natura. Sæpius jam à me nominata est, ergò ut cognito nomine, cognoscatur quoque res, justum est. Sed arduum aggredior, statim enim in limine difficultates oriuntur, ex diversum sentientium opinione, de ejus materia. Quidam enim volunt, tenuissimam & subtilissimam feri portionem, sanguini arterioso admixtam exsudare è poris arteriolarum capillarum, sicque converti in lympham. Alii & verisimilius lymphæ ex spirituum animalium reliquiis promunt primordia. Uti enim sanguis majori in copia

B

quam



quam necesse, ad partes antandatur nutriendas, sic quoque spiritus animales credibile est majori quantitate per nervos in totum distribui corpus, partesque in primis musculosas, quam ut semper in ipsarum functiones absumentur omnes. Cujus portio subtilissima & maxime volatilis per continuum corporis motum, & inde exagitatam calorem in auras abit & absumentur. Quæ restant reliquæ, cum dissipari non possint, per nervulos capillares communicantur spongiosæ glandularum substantiæ, & ita in lympham abeunt limpidissimam, limpidissimi antea spiritus: Generata hunc in modum lymphæ, quæ ad glandulas defertur conglomeratas, in succum convertitur illis proprium, quæ verò in glandulis est conglobatis, per canales & ductus proprios, ordinario modo & motu, pergit ad truncum proprium thoracicum, qui certo tempore chyloferus quoque appellari potest, ut effundatur inde per subclaviam sinistram in truncum venæ cavæ ascendenti, & ex eo in cordis dextrum ventriculum sicq; sanguinem non modo diluens, sed & quasi denuò spiritibus imbuens ad faciliorem in sinistro subeundam perfectionem. Capillares istas vasorum extremitates in cutem sese terminantes, vel ob nimiam eorum repletionem, vel ob lymphæ per calorem tam externum quam internum, aut vehementes motus & exercitia, factam agitationem quandoque se aperire & totum corpus madore, sive ut vocari solet sudore perfundere credo: qua in sententia ad stipulantes habeo *Cl. Stenonem*, qui insuper ex Rajarum cute ejusmodi vasis perforata, veram colligit piscium lubricitatem.

#### IX.

Hunc lymphæ ex animalium spirituum reliquiis ortum confirmare videtur lymphæ, quam sanguinis facilius diuturniorque motus, nam aliquot etiam post mortem horis ligata intumescunt vasa lymphatica, non item venæ sanguinæ. Observavit hoc *Experientiss. Francisc. De Le Boe Sylvius* in juvene quodam tribus post decollationem horis aperto à *Dn. D. Joh. van Horne*, qui lympham adhuc deprehendens in motu, ligatis vasis publice postmodum demonstravit. Scilicet, violenta morte interempto homine, non illico omnes diffugiunt spiritus, verum morantes paululum lymphæ nostræ præbent materiam & causam motus. Videmus insuper omnia illa, quæ spiritus animales absument, debilitant &

475  
tant & exagitant minuere quoque lympham & manifestissime imprimis salivam. Post vigilias oritur sitis; cursus & vehementiora corporis exercitia, exhaustis nempe spiritibus & dissipata per sudores lymphæ, excipit oris siccitas. In Epilepsia agitatis involuntariò spiritibus, involuntario quoque & cum spuma prodit saliva. Et tandem in febribus ardentibus, quin imo in æstate ipsa, furente immoderatus Syrio, cur tam parum in ore deprehenditur salivæ eaque lenta & viscida, & glutinosa? Cur in illis linguæ & fauces ita exuccæ ac instar arborum corticis asperæ & scabræ apparent? quam ob spiritus animales evocatos, dissipatos aut non in sufficienti quantitate generatos. Ergo ex spiritibus animalibus lymphæ, & ex illa Salivalis absque omni dubio generatur humor.

#### X.

Hinc definitur, quod Saliva sit humor oris, justæ consistentiæ nec nimis tenuis nec nimis crassus, viscosus, albicans, multum aquæ, aliquid salis, aut potius nitri, parum spiritus in se continens, temperatus, & instar aquæ fontanæ insipidus & ob id ad omnes recipiendos sapores aptus.

#### XI.

Rarò iste humor purus reperitur & sincerus, semper propè alienis pollutus est humiditatibus. Proinde judicium de eo ferendum, qualis reperitur in adulto homine benè constituto & jejuno. In infantibus enim viscosa est & glutinosa, ob nimiam cerebri humiditatem, quod continuo serosa sua excrementa hic misceat. Id quod etiam accidit in adultis, qui nempe præ cæteris humidius nacti cerebrum. Quare eo quoque difficilior ejus est cognitio Naturæ & essentiæ. In universum autem talis ut sit qualis describitur, vitia in contrarium ipsi opposita demonstrant.

#### XII.

Degener esset hic humor noster, si à natalium splendore deficeret, & nobilibus ortus parentibus, non nobiles quoque obiret in corpore functiones. Injuriam ipsi faciunt, quicunq; eum excrementum glandularum, pituitam oris albam, ad excernendum natam appellant, minimeque considerant, quibus illa interviat corporis functionibus: Non enim totum ejus in hoc absolviatur munus, ut humectet os, Oesophagumque lubricum reddat, quo eo facilius assumpta in primis solida possint deglutiri, parum hoc



esset: sed ausim dicere & probare, illam non tantum concoctionem inchoare, verum etiam absolvere, & ubi jam totus emortuus & enervatus videtur, post mortem tamen utilem esse & proficuum. Scilicet assumpti ore cibi & masticati, salivali humore imprægnantur, ad futuram in ventriculo fermentationem emolliuntur & præparantur, quinimo jam immutantur. Hancce quippe in ore præparationem vocare cœptam ciborum immutationem nequicquam vetat. Velut enim hordeum ad coquendam cerevisiam præparatum, non amplius hordei sed Malthæ vel Bynes venit nomine, licet hordei adhuc habeat formam, alienam tamen jam contraxit ex illa in aquis maceratione & torrefactione: Ita panis in ore relictus à masticatione scilicet, non prorsus est panis nec caro prorsus est caro, inquit Galenus de Nar. Fac. sed olet ejusmodi quiddam, cujusmodi olet animalis os. Ceterum, & dissolutum est & liquatum, & carniū animalium admiscuit jam sibi qualitates. Necessaria est hæc in ore præparatio, contritio & emollitio, non tam ut ingesta alimenta facilius deglutiantur, verum etiam ut facilius in ventriculo vel concoquantur, vel fermententur. Quamcunque enim rem, si cupis ut fermentet, quod si solida sit contundere oportet & humorem admiscere, fermentare enim est mixtum per aquam & ignem solvere; at in solida non tam facile penetrat aqua. Hinc in pennatis omnibus, qui hac masticatione destituuntur, & integra deglutunt grana, duplicem invenimus ventriculum, quorum alter ingluvies, edulia in gesta reservat, alter verus ventriculus, assumpta in chylum transmutat. In priori grana integra devorata saliva & epota aqua madafacta, macerantur atque emolliuntur, sed ut quoque demum in ventriculo conterantur, illum obtinuerunt carnosum, & ex duobus crassissimis musculis compactum, ut hoc ceu duobus molaribus lapidibus, binis superstructis cardinibus molere cibaria & pinsere possint. Et cum dentibus destituantur, ut eò melius hæc fieri possit actio, lapides ingerunt, & arenas, ex quarum collisione facta à motu musculorum ventriculi cibi fit comminutio. Narrat enim Harvey, ex quo hæc habemus, Falconibus, Aquilis, aliisque ex præda viventibus avibus, si aures propè admoveantur jejuno ventriculo, manifestos percipi lapillorum se invicem collidentium, strepitus. Neque Falcones refrigerii causa devorare lapillos, (secundum vulgarem Accipitrariorum errorem) sed ut illorum ope

cibus

476  
cibus assumptus crudusque eò melius conteratur. Hæc ille in libro de generatione Animalium.

XIII.

Præparatus hunc in modum in ore cibus, & salivali humiditate probe perfusus, per Oesophagum, recta in ventriculum descendit via, ibi Saliva juncta cum humore acido, in ventriculo contento, quam in ore incepit, hic pertexere solet telam, contritum jam alimentum & liquefactum penitus instar menstrui & aquæ fortis solvit, dissolvit & ad faciliorem in intestino duodeno subeundam separationem disponit. Prorsus ut aqua forti, vel alio quovis menstruo injecta primum solvuntur, mox per præcipitationem separantur. Mixturam autem hanc duorum humorum se instar aquæ fortis ex vitrioli & nitri spiritu factæ habere, ne chimæras & figmenta loqui videar, probo ex quotidiana experientia: Nonne aperientibus nobis demortui vel viventis cujusdam animalis ventriculum, semper in eo deprehendemus humorem quandam acidum, & ita acidum, ut nares quandoque feriat. Jam nihil dicam de illo humore in vitulorum ventriculo contento, pro lactis coagulo serviente, iis qui caseum faciunt, at acida quæ sunt lac coagulant: Acidus E. est, sed quam aciditate gaudet? Opinor Vitriolina. Quotiescunque enim prostrata appetentia, ejusque aciditas bile, vel aliis pravis humoribus inquinata, non alia illam illi melius restituantur medicamenta quam vitriolata. At quæ conservantur, conservantur per similia, quæ tolluntur, tolluntur per contraria. Huic vitriolo nativo, undecunque sive ex Lie-ne, sive à reliquiis ciborum, sive à sero arterioso, undecunque tandem orto, admisce Salivæ nitrosam substantiam, perfectam habebis aquam fortem, suis non destitutam effectibus pro varietate subjectorum. De cultrivoro illo Borussiano legimus, cum culter per factam in ventriculo aperturam eximeretur, illum in extremitate mucronis arrosam & exesum fuisse deprehensum. De Sruthio Camelo constans est historia, eum ferrum non tantum deglutire, verum & dissolvere. Quid dicamus de gallina illa argento nutrita, quæ non tantum argentum cum aliis frumentorum granis assumpsit, verum etiam per ejus nempe resolutionem, ita sibi assimilavit, ut mactata intus tota alba instar argenti, & in massa illa quæ ova continebant, ova apparuerint magna & parva ab artifice

B 3

quasi



quasi aliquo ingenioso ex argento fuissent fabrefacta, ut experimentum hoc à *Wendlero* probatum & descriptum, fusius exhibet & tractat in tractatu de consensu & dissensu *Chymicorum Sennertus*. Quid dicamus, inquam, nisi quod hæc omnia recensita indicia sint & effectus humoris talem quam supra dedimus naturam habentis, licet non semper ejusdem vigoris.

#### XIV.

Defunctus suo hunc in modum munere, circa concoctionem hucusque occupatus, ubi nihil habet, quod agat, partibus spirituosiss omnibus exhaustis & aquosis ad lentorem & visciditatem deductis, cum chylo abit in intestina, ubi ab eius massa puriore separata in pituitam vertitur aut mucum album, internis intestinorum parietibus adhaerentem, & à plerisque hodiè *αίσιμα* appellatum: Hacque ratione non tantum lubrica ea reddit ad fæcum excretionem verum etiam ora tegit vasorum mesenterii, ramis suis capillaribus in eorum superficiem tendentium, quæ abrafo paulo fortius vel à principio naturali aut violento hoc peristomate, satis superque conspicua sunt & sanguinem emittunt: Ut ita non immerito cuticula possit appellari intestinalis. Tandem ne nimia quantitate oneret atque gravet naturam, singulis diebus hujus mucici portio cum fæcibus rejicitur alvinis.

#### XV.

Si hætenus considerata & laudata ejus fuit utilitas, quam præstat in chylicatione, non minorem forte laudem merebitur modo, si eam ad gustum facere saporumque omnium quoddam quasi vehiculum non dixerò modo verum & probaverò. Quodnam vero genuinum gustus sit organum, hætenus varie à variis fuit agitatum: quidam pro illo linguam, quidam palatum, alii utrumque simul agnoverunt. Linguam ad loquelam vel maximè vel unicè conferre non eram nescius, sed dubitaram semper, an possit etiam dici immediatum organum Gustus, respectu scilicet carnis quam obtinet sui generis, nervorum etiam & membranarum. Confirmatus in dubio fueram, accepto & perlecto libello quodam, cui *Aglossostomographia* nomē, vel ut hujus nominis sonat explicatio, *Os absq; lingua quod perfectè loquitur*. Ubi agitur de mirabili casu cujusdam, è *Pictavia* inferiori oriundi, qui puer quinquennis vel sexennis linguam *Sphacelo* à variolis, tum temporis ibi locorum *E-*  
*pide-*

pidemialiter grassantibus totam corruptam & putrefactam amisit, ut nihil prius in bucca remanserit, omnes tamen quinque functiones, quæ huic parti tribuuntur, ut sunt loqui, scire, gustare, cibos in ore intra masticandum volutare, & eisdem denique deglutire, benè & distinctè omnium cum stupore & admiratione potuit obire. Sed fusius hac de re tractantem & ratiocinantem lege autorem ipsum *Jacob. Rolandum Chyrurgum Salamuriensem juratum in libello supra dicto*. Sed quid hoc opus exemplo; nonne persæpè blasphematoribus, aut aliis præciditur lingua, non amisso aut deperdito gustu, argumento certissimo, non linguam sed alio quodam ad gustum animam uti organo. Nec iis subscribo, qui palato favent, nihil enim hic aliud considerandum venit, quam membrana quædam, quæ ut sentit, ita quoque gustat, & cum tunica ista una eademque sit, cum tunica interna Oesophagi & ventriculi, non video, cur non & gustus posset tribui Oesophago, & cur non rerum sapes æquè dignoscerentur in ventriculo. Paradoxon habeo, membranas sentire vel quodvis aliud organum corporeum actiones edere, soli animæ debitas. Anima est, quæ per spiritum suum operatur animalem, colores discernit, sapes percipit, de qualitatibus denique judicat omnibus. Membrana cum nihil aliud sint quam tunica, quam involucria nervorum, quibus eorum extremitates obteguntur, ne spirituosa spirituum materia tam facilè exhalet, non aliter mihi sentire videntur, quam manum investiens chiroteca.

#### XVI.

Sola superest nobis modo examinanda & in munere suo confirmanda saliva, quæ ob aquositatem se facilè insinuat in assumptorum poros, indeque eorum imprægnata particulis tendit ad linguam, vel palatum, ut ibi communicet cum nervis, diversitatemque faciat sentire saporum Animæ. Unde quæ liquida statim nobis sapida sunt, quæ vero dura & solida, oportet ut aliquamdiu in ore detineantur, donec humiditate diluantur. Quædam nobis planè sunt insipida, ac talia manent, etiam si per temporis spatium benè longum salivali imbuantur humiditate, qualia sunt metalla aurum, argentum, &c. ligna quædam, lapides, & id genus alia, quorum scilicet substantia intimè sese non potest miscere saliva, nec eorum particula sapida deferri ad saporis organa. Sed omnium evi-



um evidentissimè probari potest, gustum dependere ab isto oris liquore, ex Coryza. In hoc quippe affectu omnis perit sapor, & insipida laborantibus videntur cuncta. Reddunt quidam rationem, quod humor iste hic peccans glutinosæ sit atque viscosæ substantiæ, qui impactus membranæ palati & linguæ impediatur quominus ab illis vel à nervis in eas desinentibus ritè possint percipi assumptorum sapes. Est aliquid: sed quando bilis contenta præter naturam in ventriculo ascendit, vel alius aliquis humor acidus salus, austerus, os inficit ut omnia nobis appareant amara, salsa, austera, acida, causa ne hærebit in membranæ, absit. Scilicet Coryza laborantibus, cum perpetuo per nares & os fluant pituita & serositates ille superflua, à cerebro ad subjectas partes amandata, saliva illis imbuitur, debilitatur & in opere suo impeditur, ut licet ingestorum tentet subire materiam, non tamen ita apta sit, aut efficax ad illorum recipiendos sapes: vel ipsi sapes nō ita vim suam exserere possunt, impediti ab aliis prædominantibus, id quod accidere solet etiam iis, qui acida aut piperata comederunt, omnia quippe, quæ postea assumunt, dulcissima licet, priorem sapes referre videntur.

#### XVII.

Et hic quidem, ac in saliva causam latere puto depravata appetentiæ; cur enim res appetuntur, nisi ut delectent, at quomodo delectant, (loquor de iis quæ intus sumuntur) nisi gustentur. Quapropter Picæ & Malaciæ scæminarum gravidarum causam remotam in corporis & ventriculi malam conjiciendam constitutionem non nego, sed ultimam & immediatam hic hære, quatenus nempe humor aliquis vitiosus & peculiariter corruptus ori communicatur & saliva, firmiter credo. Nisi enim absurda illa, quæ quandoque appetunt, ad palatum essent, non tam avidè ea ex peterent, cum hoc omni animali quasi à natura insitum sit, ut fastidiat, quod sibi ingratum. Posset adhuc antequam ad alia progrediamur, hic moveri quæstio, cur aqua nobis insipida, liquida tamen, ob id facillè se saliva permiscens, ac indè linguæ & palati se inserens poris? Respondetur, insipidam esse, quia temperata est, quia omnes particulas ita in æquilibrio sibi admixtas habet, ut neutra prædominetur. At ubi nullum est prædominium, ibi nec falsedo, nec amaritudo, nec dulcedo, nec aciditas, nec alia

ejus-

ejusmodi qualitas sapes inducens. Sed ad reliquos pergo salivæ usus.

#### XVIII.

Tertia quam in ore præstat utilitas est, linguæ motum lubricare, quo pronuntiatio literarum, syllabarum & dictionum eo melius succedat. Quam enim difficilis & inepta sit locutio, si os salivæ destituatur humiditate, vel ex solis patet febricitantibus, quibus bucca & lingua quandoque obtingunt adeo sicca, dura & æstu febrili torrefacta, ut terræ in modum Solis ab ardore reficcata findatur. Idem confirmant ii, quibus vel ex longis perorationibus, vel clamoribus vel vociferationibus, vel etiam cantationibus, incrassata saliva ob continuum nempe motum linguæ, ita siccum evasit os, ut ea fermè adhærescat palato, opusque habeant, naturalis hujus humiditatis passum damnum externa quadam & adventitia resarcire: inde non ex injuria sed ob necessitatem dictum puto, Cantores amare humores.

#### XIX.

Verum cum non omnes simus Cantores, non quoque ex decoro fuit, ut omnes nimium amaremus humores. Quapropter saliva prodest, ut perpetuò decidendo fauces ac laryngem humectet, ut sitis, nobis alias maxime molesta futura, restinguatur, caverentque ne partes illæ quantum fieri potest nimium evaderent sicca, & nos nimia exciperet bibendi cupiditas. Arbitror namque sitim affectum esse superioris orificii, non ventriculi sed Oesophagi, ut & capitis asperæ arteriæ, quæ partes à variis causis, tam externis quàm internis calefacta & exsiccata, per regulam contrarietatis frigidum appetunt & humidum. Inde quoque constat, cur potu citius quam cibo reficiamur, juxta 2. Aph. 11. quia statim atque assumpta liquida, humidum communicatur Oesophago, frigidum asperæ arteriæ & consequenter pulmonibus, sicque uno momento tollitur utraque intemperies sicca & calida in diversis partibus contenta.

#### XX.

Habet & præter jam enumeratas quas corpori præstat humano utilitates, alios ut ita dicam effectus. Galenus inquit, Saliva hominis sani, jejuni, necari posse viperas & scorpiones, id quod se vidisse & probasse ipsum affirmat. Et huic consentire videtur Lucretius.

c

est



Est utiq; (ajens) serpens hominum quæ tacta salivâ  
Disparet, & semet mordendo conficit ipsam.

Lichenes, impetigines hacce curati idem vult Galenus; & ipsam Mercurium quoque mortificare, nonnulli contendunt. Quinimo in saliva latere venenum, sano & innoxio corpore, per illam illud communicari posse, & aliud infici corpus, nequaquam dubito. Profecto non per alium modum in Hydrophobia canis furibundus hominem, vel quicquid morfu impetit, inficit, quam per solam salivæ communicationem. Solus enim dentium morsus nihil efficeret, nec illis utpote ossibus vis aliqua tribui potest venenata, sed quod infra dentes & linguâ exudat, mali fax est & origo. Nec alio modo nocere puto morfu viperas & serpentes quam communicando per morsum venenatam salivam, in vesiculis illis ad linguæ radicem sitis, quas omnes ponunt & adstruunt Zoographi, veneni, mihi salivæ huic animali propriæ, receptaculis delitescentem.

XXI.

Ita sese habet saliva in statu naturali. Verum uti nihil in univertum tam forte tam firmum cui non periculum sit ab infirmo; nihil in substantia sua tam bonum, cui non quandoque se admisceat aliquid mali; nullum denique corpus tam sanum, tam robustum, quod non tentetur aliquando morbis & ægritudinibus. Pari modo Nostra hæc, utut in se saluberrima & morborum profligatrix, suos tamen patitur quoque morbos, suis etiam vexatur vitiis. Quæ verò salivam à statu naturali ad præternaturalem deducunt, vel vitia sunt in quantitate vel in qualitate. In hac nativarum & laudabilium cum malis & præternaturalibus qualitatibus fit transmutatio. In illa defectus notatur & abundantia, proprio nomine Ptyelismus vel salivatio vocata. Deficit saliva, vel quod non generetur, vel quod generata statim absorbeat & consumatur. Non generatur ob absentiam materiæ variis ex causis ortam. Genita consumitur à causis calefacientibus & siccantibus, v. g. aëre ætioso, cibis salis & aromate multo conditis, vino potenti, vigiliis, vacationibus enormibus, ira, mærore, balneis immoderate usurpatis, febribus ardentibus, interiorum viscerum inflammationibus, & iis, quæ oris siccitatem, ardorem squaloremque introducere, valent. Abundantia salivæ rursus vel est naturalis, vel præternaturam, vel non naturalis. Hoc namque in puncto & actio est naturalis & morbus & remedium.

XXII.

XXII.

Abundat secundum naturam saliva, quotiescunque nos urget fames, remque solito majori desideramus appetitu, tum quippe copiosius absque ulla prægressa evidenti causa eam ad os confluere deprehendimus, ut inde natum credam proverbium, *salivam alicui movere*, de re quæ gratissima est & cupidissime expetitur. Causam vero hujus exuperantiæ nequaquam colligo esse præternaturam, sed ab humore illo acido in ventriculo contento proveniente, qui jam à veteribus inter res famem excitantes collocatus, & Riolano esurinus, quod esurire faciat, audit. Scilicet vacuo ventriculo acida ejus humiditas sui facta juris, nihilque hinc inde in quod agat inveniens, in ejus partes sese immittit & pungere incipit atque lancinare suo modo membranas, inde per communes cum ore Oesophagi tunicas, usque in os & palatum ascendit instar halitus & vaporis, atque humorem hunc salivalem suis exturbat receptaculis. Acida namque omnia pituitam fundere & incidere constans est practicum sententia. At illa imprimis salivam in ore movere, sequenti manifestum potest fieri experimento: nempe assumantur tantum aliquot guttulæ spiritus vitrioli, succi limonium, aut acidiusculum quod vis aliud, sive liquidum sive solidum, & è vestigio copiosa eademque limpidissima os abundabit saliva. Ad causas etiam naturales reducimus Ptyelismum illum infantum, quibus continuè os madet & fluit saliva ob nimiam humiditatem tenelli hujus & principia adhuc sua redolentis corpusculi copiam, quibus in progressu ætatis absumptis, cessat quoque assiduus hic fluxus.

XXIII.

Morbosa abundantia & præternaturalis, quæ propriè loquendo non saliva, sed variorum vitiosorum humorum in corpore delitescentium & ad os confluentium est exuperantia, varias agnoscit causas, easque vel externas vel internas. Externæ omnes illæ sunt, quæ copiosius generant serosas superfuitates, qualis est victus nimium humidus, largus & frequens potus, otia &c. Internæ latent vel in capite & cerebro, quippe qui id humidius præ cæteris nacti, illis continuo humida ejus excrementa ad os delabuntur & in copia Nostræ permixta egeruntur. Vel sunt in ventriculo, tum nempe, quando acidum in illo peccat, quantitate aut frigiditate



fua caloris & ignis interni impediens actiones, inde enim cruditates oriuntur, ex illis multum feri, quod, si ad intestina labitur, diarrhæam efficit, sive alvi fluxum; sin vero ad ostendat, vel propria qualitate & conditione ipsi molestum, vel ab aciditate, cuius fortè non expers, exturbata auctum saliva, crebrius ut exspuat reiiciaturque efficit. Quo pacto verò humor ejusmodi è ventriculo ad os perveniat, in promptu est membranarum communitas. Una hæc quippe est toti orii, ventriculo, gulæ faucibusque continua, quod non tantum supra ex consensu oris cum ventriculo in fame constitit, verum etiam ex concussione & tremulo labii inferioris motu, ventriculi orificio ad vomendum proritato, sufficienter probari potest. Intestina lumbricis & aliis vermibus repleta, pectus pulmoque, congestas in iis & aliquatenus condensatas humiditates ad os quoque amandant, & sic merito in numerum merentur poni caularum salivationem procurantium. Videatur *Excellentiss. Dn. D. Melchior Sebizijs preceptor noster æternum honorandus*, hæc de re fusius in *Speculo suo Med. pract. ad hunc affectum.*

#### XXIV.

Sed & Ptyelismo laborare dicuntur Melancholici, nempe quibus justo acidior succus pancreaticus mixtus cum sanguine hunc nimis efficit serosum, facitque ut totum corpus sordidis istis inundetur serositatibus. Infantibus quoque sub dentitionis tempus commune esse solet istud salivæ profluvium, non tam ob gingivarum perforationem & dolores inde ortos, quam quod forte inter erumpendum vasa quædam & illa quidem exigua ac minora, quæ oculatis. *Steno* infra dentes in gingiva collocat, disrupta fuerint atque lacerata, enormis salivæ exundationis causa. Quæ res in memoriam mihi revocat egregiam illam hæc de re observationem quam *Clariss. Deusingius ex Frencelij Exerc. 6. Hist. Mesent. Digest. 2.* proponit in *Dijs. de Alim. Depurat.* Merentur verba quin hæc transcribantur notatu digna, & multum, quam modo proposuissententiam confirmantia. *Interdum, ait, aliqui Chyrurgi ignorantes propter aliquod opus manuale in isto loco incidendo aperiunt talia orificia, (loquitur autem de vasis salivalibus sublingualibus) taliter, quod sua pelticula non possint postea claudere tempore debito. Et tunc perpetuo velis vel nolit patiens ille, semper est cum ore pleno sputamine.*

#### XXV.

#### XXV.

Quæ morbos alios curat salivatio, ipse quodammodo morbus, non naturalis dicitur, quia à causis non naturalibus, nec necessario nos alterantibus producitur. Producitur autè vix alio melius medicamento, quam Mercurii sive Hydrargyri inunctione. Hic subsistendū credo & parum tum Mercurii operatione examinandā, tum quibus morbis hoc competat curationis genus inquirendum,

#### XXVI.

Qua virtute, quæ ratione Hydrargyrum sive Mercurius non intus sumptus, sed exteriustantum adhibitus, huncce solum exagitet atque exturbet humorem, salivationemque producat, res est explicatu difficilima. Qui ad occultas confugiunt qualitates, remque admirandam magis quam rimandam volunt, citò se expediunt, verum etiam nihil proponunt hæc quæstione dignum. Bonum est, quædam quandoque æquo animo debere, sed nunquam velle ignorare, siquidem ut primum homo, cui natura curiosum dedit ingenium, acquiescere in re dubia & obscura cogitat, statim se quoque infra conditionem abiicit humanam. Conabimur ergo aperire quatenus ad scopum nostrum facit Mercurij naturam, & qua ratione circa hæc occupetur actionem, fusioem ejus tractationem Chymicis & Alchymistis merito Pseudo-chymicis relinquemus. Est autem Mercurius totus quantus quantus est, totus inquam est volatilis, tenuis, mobilis & valde penetrans. De tenuitate & mobilitate nemo, qui quid sit Mercurius novit, dubitabit. Volatilitatem, ejus per acida fixatio & per ignem facta probat resolutione. Compedibus hic omnis quem habemus ligatus est, & partes sibi admixtas habet terrenas, salinas, acidas, quibus igne liberatus abit in auras. Ratione itaque tenuitatis penetrat ubique & in intimas sese corporis immittit penetrabilia, ubi quod salis volatilis est proprium, à centro movet ad circumferentiam sed crassos inveniens humores, quos per sudores discutere nequit, sero miscet aut lymphæ, dum interea particule ejus acidæ & salinæ tenellam erodunt palati & oris membranam, sicque orificia vasorum ibi delitescantium aperiuntur magis & dilatantur, saliva primum qua data porta ruit, affluit mox in corpore à Mercurio exagitatus aquosus humor, cui ipse immixtus latet, sicque salivatio oritur



doque horribilis cum vacillatione dentium, gingivarum exesione, labiorum tumore, ita ut quod ante pro remedio, jam pro morbo habeatur, & nova requirat desideretque præsidia, ne symptomata mortem inferant præsentaneam. Sed inquires, hæc ita procedere in magnis illis & diuturnis salivationibus ad curandam Luem Veneream adhibitis, ubi credibilius, ichorem istum acrem & venenatum, qui cariem quandoque inducit ossibus, ad os affluentem causam potius esse exulcerationis palati, quam Mercurium. Verum affluentem istam materiam acrem & mordacem augere symptomata, & imprimis ulcera faucium pejora reddere, non nego, sed certum habeo, nunquam vel raro incipere salivationem absque faucium levi quadam erosione vel inflammatione.

XXVII.

Morbi qui Mercuriali hac salivatione curari possunt, omnes esse puto, in quibus vitium latet in sero vel in lymphâ. Communissimè omnium hoc remedii genere Lues tractatur venerea rarius Podagra. Elephantiasis & Hydropi quoque convenire arbitror, sed incipientibus, in consummatis enim vel nihil prodest, vel virium eam prohibet debilitas. Similis per omnia Lues venereæ videtur pestis, nec specie hæc ab illa sed tantum gradu distinguenda; quatenus hujus nimirum natura in sale summè volatili, illius in volatili quidem etiam, sed magis fixo & terreno consistat. Serum & lympham hic laborare imprimis atque exagitari, & glandularum docet inflammatio & morbi per sudores utriusque solutio. Differre videntur ratione tantum quorundam adjunctorum; scilicet contagiosa maximè est pestis, protinus maximos afferens labores, maxime perniciofa. Statim enim atque in corpus intromissum venenum hoc pestilentiale, bilem optimum & optatissimum invenit instrumentum cui sese miscet, & igneam jamjam atque maximè volatilem magis adhuc ut ita loquat, volatilisat, ita ambo ad cor & massam abeunt sanguineam, illam corrumpunt, dissolvunt & totam quasi serosam reddunt. Emissus quippe per venæ sectionem ejusmodi sanguis, fibris destitutus plerumque non coherens, seroque totus varii coloris perfusus deprehenditur. Huic immixtus aquosæ illuviei in glandulas delatus eas implet, distendit, inflammat & tandem definit in suppurationem.

XXVIII.

XXVIII.

481

Contra pari propè modo sed mitioribus comitata symptomatibus, corpus ingreditur contagiū venereum, non ita hæreditarium, non ita contagiosum, non ita violentum ut pestilens, bili quidem ut & alterum sese miscet, sanguinem corrumpit, ad glandulas quoque tendit, & bubones efficit Venereos, sed quia non in totum dependet à sale volatili, verum etiam fixato & acido, bili conciliat aliquam acrimoniam, qua exulceratur cutis & tota deformatur pustulis. Sudoribus utriusque ut dictum tractantur morbi, sed impari successu. Pestis his perfecte curatur, quia vitiosæ hoc modo tolluntur serositates, pori insuper aperiuntur, ut exhalare queant vapores, & sub vaporibus spiritus quoque hic venenatus: at redit plerumque postliminio sudoribus tractata Lues venerea. Quapropter colligimus, in Peste lympham peccare, vel serum subtilius, diaphoreticis & sudoriferis dissipabile, & hanc ob causam non opus habere violento hoc remedii genere, neque etiam cum jamjam materia in glandulis hæreat foras eliminanda. Luem vero veneream nidulari in crassiori & magis terrena materia duriores requirere cuneum, quia durior hic etiam est nodus, & per solam à Mercurii inunctione provenientem salivationem rectè & radicatus curari posse experientia probat. Quam ob causam vel illa sola, relictis aliis curis palliatis, instituenda, nihil obstantibus malis & symptomatibus, quæ Mercurius quandoque solet introducere.

XXIX.

Cum Podagra magnam affinitatem habet Hydrops. Ex diuturnis Podagricis plerumque fieri Hydropicos, notum. Uterque morbus est serosus, ergò ut uterque uno eodemque tractetur modo nihil vetat, nisi adsit contra indicans, id quod in Hydrope vel sola potest esse regina indicantium, virtus. Eo quoque, respiciendum in Podagra, ne talis instituat cura viribus vel alio morbo vel senio fractis. Cæterum si ea rectè se habeant, nullum melius, nullumque certius, reperiri potest præsidium, absque recidivæ metu, quam salivatio. Sed eam inutilem & noxiam meritò quis proclamare posset si podagram morbum esse serosum negaret, & calidum potius à siccitate nimia ortum assereret, quia frequentior in calidis regionibus quam frigidis, biliosis magis & vinū bibentibus, quam frigidis



frigidis & Hydropotis. Hinc veteres Bacchi & Veneris filiam dixere Podagram. At & Venus & vinum siccat atque calefacit. Si ergo calidæ in hunc affectum conspirant causæ & sicca, affectus quoque calidus erit & siccus, magis humectantibus quam humiditatem evacuantibus curandus. Sed facilis ad hæc est responsio; distinguendo inter humiditatem bonam & laudabilem & inter vitiosam & excrementitiam. Cedo, conspirare dicta omnia in absorptionem humidi boni & laudabilis, sed hoc ipso humiditates generantur excrementitiæ & superflua serositates. Hinc fortissima & generosa bibentes vina fiunt hydropici, cum summa illorum admiratione, vinum optimum pessimas introduxisse aquas.

XXX.

Sed ad vitia progredior qualitatis. In qualitate peccare dicitur saliva, quando ejus immutantur, vel Temperatura, vel consistentia, vel colores, odores, sapor. Ratione Temperaturæ temperatissima cum illa sit, rationi omnino est consentaneum, calidior em reddi à biliosis, frigidior em à pituitosis humoribus; & ab illa quidem consistentiam ejus prodire crassam & tenacem, qualis esse solet in febricitantibus, ita ut lingua quasi adhærescat palato; ab hac verò, aquosam viscidam, lentam, glutinosam, cujus generis videmus esse humorem infantibus subinde ex ore profluentem, & quem exspuunt Catarrhosi & Phlegmatici. Coloris est albicantis, sed pro admixto ichore, flavus, citrinus repertus, quandoque sanguine respersus & cruentus, ut in Phtysi & Pleuritide laborantibus. Nullum per se & naturaliter habet odorem, facile tamen illum ex quibusvis assumptis refert, hinc quando vel vitio ventriculi, vel pulmonum, vel ipsarum denique gingivarum peccatur, tetrum, ingratum, omnibusq; adstantibus, præsertim jejuno stomacho, molestum acquirit odorem, dicam an foetorem, non aliter nisi benè olentibus corrigendum. Uti nullum habet odorem sic quoque naturaliter insipida est hæc nostra, omnis tamen saporis vehiculum & summè necessarium animæ ad illos colligendos instrumentum. Deprehenditur tamen quandoque alieni saporis particeps, à bilioso redditur amara, à falso quodam humore, acido, austero, dulci; salsa, acida, austera, dulcis. Ex his omnibus

omnibus jamjam dictis, prudens & circumspectus Medicus sua solet depromere signa morborum Diagnostica & Prognostica, concoctionis & cruditatis, imo vitæ & necis.

XXXI.

Res quæ hæcenus à nobis propositæ cum sint præter naturam, sui volunt ablationem & curationem. Quapropter Medicus suis nixus indicationibus, in defectu Salivæ studebit, ut removeantur causæ, ut siccitati humectantibus eatur obviam medicamentis eò pertinentibus. Sin vitium sit in excessu, & quidem à Catarrho vel humida cerebri constitutione, primariam curam ad cerebrum ut dirigat necesse est: obturato enim fonte, facile cessabit rivulus. In altera vero Pyelismi specie à Mercurio introducta, sin nimis excessiva, gargarismi, oris collutiones, tragemata, exsiccantibus, adstringentibus, partes illas confortantibus, facta postulat, si non, sibi relinquenda, donec cesset. Qualitatis vitia ordinariam curam non requirunt, quia pleraque sunt symptomata, morbum ut umbra suum corpus sequentia. Non ergò valdè de iis sollicitus erit Practicus.

XXXII.

Et hæc breviter de Salivæ Natura & vitiis pro ingenii meæ tenuitate dixisse sufficiat. Plura qui desiderat, libros, qui hac de re egere, evolvat. Animus fuit Theses succinctè conscribere & his mentem meam aperire, non locos communes congerere. His bene utere Benevole Lector, eo ne abutatur iniquus Cenfor rogo. Nos interim pro cælesti favore & divino auxilio ex toto pectore dicimus

DEO GRATIAS.

D

Varia



## Varia.

- I. Lac Sanguinis frater.
- II. Partes scilicet sanguinis spirituosæ multo oleo abundantes ex affusione lymphæ in glandulis mammarum contenti lacteum acquirere colorem.
- III. Hoc editus in lucem nutritur Infans, sanguine non alio in utero qui vixit humore.
- IV. Sanguis ipsi in utero ad nutritionem per venam affluit umbilicalem & superfluus redditur per aterias, secus ac in adultis.
- V. Diabetes, quæ velox & copiosa potus non mutati per vesicam est emissio, pro loco affecto non Renes sed ventriculum habet.
- VI. Vitia scilicet primæ concoctionis non corriguntur in secunda.
- VII. Et quæ semel in ventriculo mutata, priorem nunquam possunt recuperare formam.
- IIIX. An Calor præter naturam auctus, vel pulsus mutatus, Febris signum sit pathognomicum, merito disputatur.
- IX. Dantur enim Febres nullus ubi sensibilibiter percipitur calor, sed perpetuum urget frigus.

X. Es

483

X. Et pulsus etiam absq<sup>ue</sup> febre mutari possunt.

XI. An dentur Cathartica tertiam corporis regionem purgantia? dubium.

XII. Illam optime & vel unice per Venæ Sectionem & scarificationem purgari posse extra dubium.

XIII. In Dysenteria ab adstringentibus velle facere initium Curationis, malum.

XIV. Aluum hic fluidam fluidiorem reddere vulgo ridiculum, sed bonum est.

XV. Non in omni Pleuritide Venæ sectio necessaria & proficua.

XVI. In Apoplexia jugularium sectio valde est utilis.

XVII. Quin & venæ frontis in inveterato capitis dolore.

XVIII. Mercurius crudus non secus est venenatus, ac aurum & argentum, cæteraq<sup>ue</sup> metalla.

XIX. Sublimatus & præcipitatus, magis præparatione quàm natura sua sunt noxij.

XX. Optime intra corpus datur cum Conserva Rosarum Vitriolata in forma pilulari.

Gene-



*Generis splendore, virtutis & eruditionis  
nomine ornatissimo Dom.*

**CAROLO RAYGER,**  
Medicinæ Candidato meri-  
tissimo.

S. P. D.

**V**irtutis studium, pietas, doctrina laborque,  
Hæc tria non solum laudemq; decusq; merentur,  
Sed quoq; Cultori producunt præmia larga,  
Præmia quæ in mundo durabunt temporalonga.

Ergo cum virtus, pietas, doctrina laborq;  
O RAYGERE tua fuerint doctissime cura,  
Haud sanè immeritò dabitur tibi pulchra corona  
Artis Pæonia: quam nunc tibi gratulor: atq;  
A DOMINO rerum contendo pectore toto,  
Ut tibi conciliet magnum & memorabile Nomen:  
Ut cures agros: ut sanos ritè gubernes,  
Quò minus in morbos labantur: ut ipsemet annos  
Nestoreos vivas, videas serosq; nepotes

Melchior Sebizius Med. D. & Prof.  
Com. Pal. Cæs. Reip. Argent. Archiater,  
& Capituli S. Thomæ Præpositus.

F I N I S.